UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 16. Quid dicendum sit ad varias dubitationes, quæ hìc possunt occurrere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

Visual Library

cubinarios recidivos : Et de hoc Clericorum concubinatu ac pœnis in eum ſtatutis poſſunt plura videri apud *Pignat.* tom. 9. conſ. 139. à n. 128. An Judex *ad quem* debeat pro abſolutione remittere ad eum, qui tulit cenſuram, V. *Sanch.* dub. 35. An autem, ſi Judex *ad quem*, abſolvat, debeat citare partem, V. *Sanch.* dub. 36.

Q. 16. Quid dicendum ſit ad varias dubitationes; quæ hic poſſunt occurrere. ℞. §. 1. Quando dubitas, 120.
an ſis ligatus censurâ, quia neſcis, an cenſura in te lata ſit, an comprehendat hunc tuum caſum &c. nec dubium ſolvere potes, judica te non eſſe ligatum, quia materia eſt odioſa, ergo extendi non debet, & cùm tu per Baptiſmum acquiſiveris certum jus fruendi bonis communibus Eccleſiæ, non debes ab hac certa poſſeſſione dejici per dubium ſuperveniens, ita docent latè *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 10. à n. 55. *Delb.* c. 2. d. 8. ſ. 13. *Caſtrop.* d. 1. pu. 8. n. 8. *Pelliz.* tr. 7. c. 1. n. 89. qui tamen monent, in hoc caſu non eſſe petendam vel admittendam dignitatem eccleſiaſticam, eò quòd reverentia illius videatur poſtulare, ne ejus collatio fiat cum periculo caſſationis: ſed *Caſtrop.* n. 9. rectè notat, ſi aliunde non adſit tale periculum, ratione illius dubii neminem prohiberi vel impediri; quominus petat vel admittat dignitatem.

§. 2. Quando dubitas, an alius ſit ligatus 121.
cenſurâ, debes habere eum pro non ligato, quia ipſe eſt in poſſeſſione, unde faceres injuriam habendo eum pro ligato, *Pelliz.* & alii ſuprà. De dubio, an aliquis ſit ſufficienter denunciatus, dicam n. 186.

§. 3. Si ſcias cenſuram in te latam eſſe, ſed 122.
dubites, vel an Superior ſeriò & ex animo tulerit,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rit, vel an non legitime ab eâ appellaveris, vel an ſis abſolutus, judica te ligatum, quia poſſeſſio eſt pro cenſura, *Krim.* n. 1807.

123. §. 4. Si dubites, an cauſa cenſuræ ſit juſta, *Dicaſt.* d. 1. à n. 351. putat probabile eſſe, quòd poſſit cenſeri non juſta, quia Superior tantùm eſt in poſſeſſione poteſtatis ad ferendam ſententiam juſtam, de quo hìc dubitatur, unde ſubditus videtur manere in poſſeſſione ſuæ libertatis: Sed oppoſitum cum communi tenendum, ſecundùm dicta l. 1. à n. 432. & 595.

124. §. 5. Si dubites, an Superior poteſtatem habeat ferendi talem cenſuram, aut an ejus poteſtas ſe ad hunc caſum extendat, ſi Superior ſit in poſſeſſione ſui Officii, quod communiter habet talem poteſtatem annexam, præſumptio & poſſeſſio erit pro Superiore, utì in ſimili circa poteſtatem ferendi legem dixi l. 1. n. 594.

125. §. 6. Si dubites, an ſis ligatus majore an minore cenſurâ, item an latæ vel tantum ferendæ ſententiæ, tene, quod minus eſt, quia *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, ſecundùm dicta l. 1. n. 596. & pluribus adhuc ibidem n. 826.

Quid tenendum ſit in dubio, an ſine tuo mandato vel conſilio poſitus fuiſſet effectus ſub cenſura prohibitus, dixi n. 66. De dubio, an appellatio ſit legitima, dixi n. 122. De dubio, an cenſura ſit lata ante an poſt appellationem, videri poteſt *Covarr.* Cap. *Alma mater*, 1. p. §. 2. n. 5. De dubio, an tenearis ſatisfacere, antequam abſolvaris dicam n. 172.

DU-